

AB  
13  
H12


80  
107

P. f. 110

Theologie  
E. VI. 428



6



DE F I D E,

P A C E,

Gaudioq; in  
Spiritu san-  
cto.


Violæ tres,

S T E P H A N I

Prætorij.

I S S S.





# SALUTEM IN

*Christo plurimam.*



EVERENDE AC DO-  
cte Vindruui, monuit me  
nuper amicus non vulgaris,  
ut, si quas Violas, quarum  
fragrans odor animulas  
marcidas recreare posset, paratas habe-  
rem: hoc gratissimo veris tempore in lu-  
cem ederem. Habui tres, Fidem, Pacem,  
& gaudium in Spiritu sancto: quas ita e-  
mitto, ut eas tibi præcipuè dicatas ve-  
lim, qui tantopere amas nostras Musas.  
Breues sunt flosculi, fateor: sed si quis  
attentiùs ipsos considerauit, fortassis  
succum inde hauriet animæ suæ saluta-  
rem. Noli igitur aspernari quicquid hoc  
est munusculi, optimo animo à nobis pro-  
fecti. Scis enim, quis ille sit, qui me ad  
hanc beneuolentiam, & ad hoc studium  
impulerit. Quod tamen debitum priùs  
exoluere non potui, tot occupationibus  
impeditus. Mundo sordent eiusmodi  
Violæ, fat scio: quia mundus odit suam  
ipsius salutem, & mentem habet in Pello-  
ponneso, hoc est, in foro, arca, lebere,  
dolio, & thalamo. Cùm enim in quodam  
conuiuio approbaretur eximius Can-  
tor,

*uerit*

ille

tor, interrogatus rex Cleomenes, quomodo sibi Cantor ~~ipse~~ placeret: respondit, se non attendisse ad vocem Cantoris, mentem enim se habuisse in Peloponneso. Quæ vox, uti viri politici, cui Respublicæ fuit, suam excusationem fortassis habet: at insulitas mundi, contemnens vocem Evangelij, seu ut antea dixi, Violas vitæ, nullam excusationem admittit. Nos autem propterea non abijcimus confessionem Evangelij, vel si immaniùs nos exciperet immundus Mundus. Satis est mihi, quòd sciam, passim reperiri mentes honestas, quæ & honestè iudicent de nostris scriptis, & sereno non truci vultu ea ipsa legant. Horum pijs votis studia mea commendo: atq; his vicissim mea suspiria, & si quid præterea in me est, defero: in Christo Iesu, Domino meo. Bene vale, mi optime Petre VVindruui, & reuerendissimum vestrum, Ioannem Lorberum, ex me officiose saluta. Soltwedel. Anno M. D. LXXXV. XXX. Martij.

Stephanus Prætorius.

# DE FIDE.

## Ad Baptizatos.



*V*ALDE IN-  
signis & memora-  
bilis extat locus a-  
pud D. Paulum, 2.  
Timoth. 1. de æ-  
terna nostra salute  
in *CHRISTO* nobis donata, in  
hunc modum scriptus: *DEVS* sal-  
uos nos fecit, & vocavit vocatione san-  
cta: non ex operibus nostris, sed ex suo  
proposito & gratia, que data quidem est  
nobis in Christo Iesu ante tempora secu-  
laria: sed patefacta nunc est per appari-  
tionem & Euangelium Seruatoris no-  
stri. Et ad Tit. 3. Saluos nos fecit per la-  
uacrum regenerationis. Quos quidem  
egregios & intimis medullis infigendos

A 3      locos

*locos D. Pauli, Doctor Lutherus Postilla Ecclesiastica, sectione prima, folio 74. sic enarrauit: Wir sind schon selig / zuwider den Werckheiligen / welche durch ire Werck die seligkeit / als were sie noch ferne von jnen / haben vnd erlangen wollen. Denn Christus hat vns schon selig gemacht in der Tauffe / wie S. Paulus spricht: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Vnd folio 75. Die Tauffe machet den Menschen ganz vnd gar auff ein mal rein vnd selig: das zu dem heubtstück vnd erbe solcher vnser seligkeit nichts mehr not ist / denn der Glaube an solche reiche gnade.*

*Est autem vox salutis in hisce & similibus locis luculentissimæ significationis: sed præcipuè complectitur remissionem peccatorum, donationem nouæ iusti.*



*iustitiæ, ornamentum τῆς ὑποθετικῆς τοῦ Θεοῦ,  
inhabitationem sancti Spiritus, & vi-  
tam æternam. Hæc summa, ingentia, &  
incomparabilia beneficia, omnibus ac sin-  
gulis Electis à Deo liberalissimè dona-  
ta sunt in Baptismo, perpetuo iure. Si  
enim in C. Iulio Cæsare nullæ reliquiæ si-  
multatis resederunt, si quando semel ex-  
oratus alicui ignouit, teste Cicerone, ora-  
tione pro Deiotaro: quanto minus in Deo  
quicquam simultatis residere putandum  
est, postquam nos semel in gratiam re-  
cepit. Verè igitur nos sumus iam rege-  
nerati, ac pristina nostræ dignitati resti-  
tuti. Wir sind jetzt eben so herrliche  
vnd schöne Leute / als wir vor dem  
falle gewesen / Ja noch viel herr-  
licher vnd schöner. Der fall Adæ  
ist vber hoffnung vnd zuuersicht  
zu wol geraten / vnd vns eitel ge-  
win vnd wucher worden: Quemad-*

A 2

modum

modum Ecclesia canit, O culpa beata: &  
D. Bernhardus sermone de Maria vir-  
gine testatur: Per unum virum omnia  
restaurata sunt, non sine foenore gratia-  
rum. Non enim sicut delictum: Ita &  
donum. Sed excedit damni aestimatio-  
nem beneficij magnitudo. Et Iohannes  
Hussus: Sancta Ecclesia, quae est prae-  
destinatorum uniuersitas, tantis est the-  
sauris Iesu Christi ditata, & eius pulcri-  
tudine decorata, ut non describi, sed so-  
lum admirari possit. Quoniam iam sumus  
iusti, non iustitia hominum aut angelo-  
rum, sed iustitia Dei. 2. Cor. 5. Sumus  
etiam dilecti Dei, Rom. 1. hoc est, Filij  
Dei, quos DEVS in amoribus & de-  
licijs habet, quos unice & effusis habenis  
diligit: licet quandoq; hunc summum ar-  
dorem dissimulet, & variae cruci nos  
subijciat, honestissimis rationibus ad-  
ductus. Nemo enim sine cruce unquam  
bene

benè vixit: & nemo cum cruce malè.  
Deinde etiam sumus lucidissima templa  
Spiritus sancti, 1. Cor. 3. Atq; heredes  
vitæ æternæ. Rom. 8. Quando enim san-  
cti de conualle plorationis curriculum vi-  
tæ suæ inter odium, liuorem & maliciam  
huius mundi absoluerunt, defuncti omni-  
bus laboribus, curis ac lacrymis: & iam  
afflictum spiritum ex angusto & anhe-  
lo pectore emittunt: non descendunt in do-  
mum Plutonis: sed inter molles & fra-  
grantes Angelorum manus subuolant  
Sancti in amœnos cœli hortos, usq; ad di-  
em mundi extremum, quo toti excita-  
buntur ad nouas & insperatas delicias  
vitæ æternæ.

Quæ quidem amplissima nostra bona  
in fonte baptismi Dei gratia & munere  
nobis affatim concessa & exhibita, ut  
maturè intelligere & admirari discant  
adolescentes, operæ precium est. Inprimis

A 5

vero

vero animis multum salutis adferunt  
hæc bona, si vera fide possideantur. Est  
enim Fides hypostasis, seu firma assensio  
earum rerum, quæ quidem verè adsunt,  
non autem coram videntur. Et talis fides  
est τεμέλειον τῆς σωτηρίας, fundamentum  
salutis, ut Clemens loquitur: quamvis  
non sit πλεονέκτημα τῆς φύσεως, pro ut Ba-  
silidis sectatores docuerunt. Hinc D.  
Bernhardus serm. 3. de natiuit. In fide  
sanitas animæ est: quia, qui crediderit,  
saluus erit. Idem serm. 4. de ascens. Fi-  
des instillat robur, & magnanimum fa-  
cit. Quicquid enim sine fide præsumitur,  
non est ulla animi solida magnitudo, sed  
ventosa quædam inflatio. Ach welch  
ein frölich vnd mutig hertz machet  
verstandt vnd glaube. In fatuis nihil  
inest, præter mœrorem & pusillanimita-  
tem. Quapropter hortor vos pauperes  
adolescentes, ut hæc diuitias salutis Ie-  
su

fu Christi in solis vestris bonis numere-  
tis. Wir müssen doch sonst nicht  
viel in der Welt haben. Weisheit/  
heil vnd reichthumb gehören nicht  
zusamen / Es were einem zu viel.  
C. Plinius ad Bebiu Hispanum scribit:  
Scholasticis sufficit abunde tantum soli:  
ut releuare caput, reficere oculos, reptare  
per limitem, unamq; semitam terere,  
omnesq; viticulas suas nosse, & nume-  
rare arbusculas possint. Ja wer nur so  
viel hette. Habeamus igitur thesauros  
Christi, & gazas Basily, de quibus Nys-  
senus scribit: Sobrietas illi pro domicilio  
erat: Sapientia loco prædij: Iustitia autem  
& veritas & puritas pro splendidis &  
magnificis ædificiorum ornamentis. De-  
inde etiam vos oro, ut plena animi fidu-  
cia in hac, quæ ad vos semel in baptismo  
delata est, gratia conquiescatis. Ver-  
lasset euch nur künlich auff ewre  
se.

**Religite.** State animis, in vita & morte, firmis radicibus salutis innixi, & caute, ne quo æstu terroreue generosam ac validam vestram fidem Satan infringat. Habetis iam pridem donum iustitiæ, gratiæ Dei, Spiritus sancti, & vitæ æternæ: de his bonis gloriamini & triumphate. Atqui ut accendatur et crescat in vobis aurea & salutifera fides: pro eius munere Deum precamini, & de vestra salute libenter ac frequenter inter vos confertote. Proderunt vobis ad hoc limpidissimi fontes Israelitici. Ita in vobis habitabit & viuet Iesus Christus: qui, non existente fide, in nobis q. mortuus est: & percipietis, sub sereno vultu æterni vestri patris, dulcissimos fructus de ligno vitæ in medio Paradisi. Nunquid præterea vultis? Concordiam inter vos mutuam alite. Stoliditatem vitate. Grauitati assuescite. Sobrii estote. Licentiam

centiam cupiditatum refrenate. Quæ mi-  
nus sapienter & laudabiliter à vobis ge-  
sta sunt, emendate. Finem orandi non  
facite. De societate gloriæ & maiestatis  
Christi gaudete. Columnas Herculis por-  
tate: & in amore Dei Patris, Dei Fi-  
lij, & Dei Spiritus sancti respirate:  
beneq; sperate. Nam iuxta Na-  
zianzeni dictum, Spes ma-  
gnæ & excelsæ magno  
& excelso fine  
concludun-  
tur,

# DE PACE.

**D**ULCE EST NOMEN pacis, gratoque introitu animis non feris illabitur: at res ipsa, ut Cicero in Philippicis ait, longe dulcior est, & maxime salutaris. De civili pace hoc loco nihil dicam: tantum moneo adolescentes, ut abhorrentes ab omnibus doctrinarum corruptelis pie & honeste vivant, ne sceleratis moribus Turcorum aciem in mediam Germaniam attrahant: id quod Greci leues, superbi, & libidinosi olim fecerunt, & Itali breui facient. Sed de pace conscientiarum nobis hic brevis sermo erit institutus: quam pacem ita nonnulli definiunt, ut dicant, eam esse liberationem animi à sensu & aestu dolorum ac pauorum, qui naturali lege peccatum & iram Dei sequuntur: esseque suauem tranquillam



quillitatem cordis, ex agnitione remissionis peccatorum & gratiae Dei profectam. Alij compendiosius pacem esse aiunt, vacare dolore ac metu, peccati & irae: propter remissionem & gratiam, in baptismo acceptam. Tali pace praeditus fuit Adae animus ante lapsum. Quoniam tum nullos sensit vel dolorum vel paenarum stimulos: sed in integra iustitia, & summa Dei benevolentia, securus & supinus, suavissimum in modum acquieuit. **Adae hertz ist wie ein stilles wasserlein gewesen/welchs durch keine sturmwinde beweget vnd verunruget wird.** Vixit igitur Adam beatissimè. Nam εὐθυμία, seu salus ac beatitudo animorum, maximè consistit in vacatione doloris ac metus scelerum & paenarum: & propriè est, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. Post lapsum verò amisit Adam hanc summam felicitatem, &

Et cum se tum nos omnes in profundissi-  
mum dolorum & pauorum barathrum  
præcipitavit. Unser ganzes leben ist  
nichts anders / denn eitel vnruhe /  
herzleid vnd schrecken / præsertim  
quando aliquis singularis & insignis ca-  
sus errati aut infortunij accedit. Sed Fi-  
lius Dei, flos amoris generis humani, e-  
ripuit nos rursus ex isto miseriarum ba-  
rathro, & pristinae felicitati restituit.  
Nam initio pro nobis factus est homo, &  
peccatum, hoc est, victima pro peccato,  
ut fieremus iustitia Dei, & filij Dei,  
expertes omnis peccati & iræ. 2. Cor. 5.  
Deinde abluit nos publico & solenni ri-  
tu, coram oculis angelorum & Ecclesie,  
ab omni peccato & ira, limpidissima illa  
baptismi aqua, per quam etiam nobis in-  
dumentum æternæ iustitiæ induit, &  
gloriam adoptionis applicavit. Diserte  
enim Paulus scribit, 1. Cor. 6. & Eph. 5.  
Eratis

*Eratis quondam omnium pollutissimi:*  
*at nunc abluti, & tam decori redditi*  
*estis, ut nec vel leuis rugula, vel tenuis*  
*macella in vobis manserit reliqua, iusta*  
*accusatione & damnatione digna. Quin*  
*imò adeo illustres iam estis facti, ut cum*  
*ipso sole & Angelis de iustitiæ claritate*  
*& excellentia contendere possitis. Ihr*  
**seid jetzt heller denn die Sonne /**  
**und schöner denn die Engel. Quoni-**  
**am amicti & exornati estis iustitia per-**  
**fecta, non quidem Angelorum, sed ipsius**  
**Fily Dei. Vestra iustitia est iustitia di-**  
**uina, seu iustitia Dei. Ach ir seid Göt-**  
**ter. De reconciliatione autem facta in-**  
**ter nos & Deum in baptismo, idem Apo-**  
**stolus ait, Rom. 5. Reconciliati sumus**  
**Deo per mortem filij eius. Item Ephes. 2.**  
**ἀποκτείνων τὴν ἔχθραν ἐν αὐτῷ. Er hat**  
**die feindschaft in Gottes herz ge-**  
**tödtet / das nichts anders darinn**  
**B vber-**

Überblieben ist / denn eitel vetera-  
liche liebe vnd trewe. Er stelle sich  
auch so schwarz vnd vnfreund-  
lich / wie er jmer wolle. *Idq̄ omne Fi-  
lius Dei hoc optimo fine fecit, ut dulcissi-  
mo pacis fructu beati essemus per totam  
vitam. Dicit enim Esaias Propheta,  
cap. 53. Disciplina pacis super eum. Hoc  
est, Ideo Filius Dei in se deriuauit molem  
nostrorum peccatorum & iræ Dei, ut  
nos liberi essemus, & quasi in iugi con-  
uiuio, perfusi incredibili sensu iustitiæ &  
gratiæ Dei, delicijs æternæ salutis afflu-  
eremus, summoq̄ ocio perfectaq̄ tran-  
quillitate, sopito in nobis omni mærore  
ac pauore, fruemur.*

*Huc accedit seria Filij Dei voluntas,  
qua nobis imponit, ut hunc suæ mortis  
ac resurrectionis, nostri autem baptismi  
& iustitiæ luculentissimum fructum, pa-  
cem nimirum, animis nostris inseramus,  
foueamus*

foueamus, & mordicus teneamus: eamq;  
omnibus doloribus & pauoribus, sua  
sponte in molliculo nostro corde enascen-  
tibus, vel à Diabolo & eius organis in  
nobis excitatis, opponamus. Sæpe enim  
repetit hanc vocem: Pax vobis. Pax  
contra peccatum. Pax contra Dei iram.  
Pax contra Legem. Pax contra Dia-  
bolum. Pax contra mundum. Pax con-  
tra mortem. Et Ioannis 14. inquit:  
Ne turbetur cor vestrum. Q. d. Volo  
vos absq; omni dolore, metu & cura vi-  
uere. Vacent corda vestra omni pertur-  
batione. Tali enim cultu mihi non serui-  
tur, sed potius Diabolo, hosti salutis ve-  
stræ, cui volupe est, sanctos mærore con-  
fici. Quid quæritis? Was wollet jr  
viel sagen? Habt jr doch schon ewi-  
re seligkeit hinweg: Vnd dieselbe  
viel herrlicher / reichlicher vnd  
überschwenglicher / als jr sie in  
B 2 Adam

Adam nie verloren habt. Ihr sol-  
tet mit Adam vngern wechseln.  
So zörnet auch ja Gott der Herr  
mit euch nicht mehr / vmb der vber-  
schwenglichen Gerechtigkeit vnd  
Kindschafft willen / wie er spricht /  
*Esaie 27. Mihi non est ira, scilicet he-  
rilis, sed sola paterna.* Bey mir ist kein  
zorn. Vnd *cap. 54. Iuravi ne irascar  
vobis. Ich habe geschworen / das  
ich mit euch nicht zörnen wil.*

*Quapropter oro & obtestor omnes  
credentes in Christum & baptizatos, hoc  
est, omnes iustos & reconciliatos Deo,  
Inprimis autem afflictas & consterna-  
tas mentes, ne tantam gratiam frustra  
acceperint: sed ut sua liberatione &  
salute rectè uti ac frui norint, rerumq;  
optimæ paci se dedant, & corda sua ad-  
uersus omnem cruciatum & trepidatio-  
nem,*

nem, cum in vita, tum in morte, ea ipsa muniant atq; obfirmant, iuxta Pauli uocem Philip. 4. Pax Dei, quæ superat omnem intellectum, custodiat corda uestra, scilicet aduersus insultus Diaboli, & seditiosorum hominum, qui perpetuam damnationem & mortem, liberatis, iustis, & Deo acceptis, propter peccatorum reliquias, quibus ipsi tamen præ cæteris abundant, intonare consueuerunt.

Lasset euch ewren Trost vnd friede nicht nemen: Denn er ist ewer etwiger vnd höchster schatz. Forti & heroico animo estote præditi, & dicite cum Dauide βασιλικός: In pace cubabo & obdormiam: neq; curabo multas myriades aduersariorum. Et cum Leone Luthero, Gal. 2. Weil ich ein Christen bin / wil ich fortan frey / sicher vnd stolz sein / nicht in meiner / sondern in meines Herrn Jesu Christi Ge-

B 3 rech-

rechtigkeit/ vnd in der ewigen gna-  
den Gottes/ mir auff ein mal genz-  
lich in meiner lieben Tauffe ge-  
schencket / Vnd wil vngerne fra-  
gen/ ia nicht eins wissen/ ob irgends  
eine Sünde / oder gerechtigkeit/  
vngnade oder Todt / in der Welt  
verhanden sey. Denn ich bin vber  
Sünde / Menschliche gerechtig-  
keit/ vngnade/ Todt vnd Helle weit  
erhaben / vnd sitze mit meinem  
Herrn Jesu Christo zu der rechten  
Gottes / meines himlischen Va-  
ters. Ich bin der Sünden vnd dem  
Tode mit Christo ein mal gestor-  
ben / vnd lebe jetzt der ewigen Ge-  
rechtigkeit vnd der ewigen Gna-  
den Gottes/ im Himmel/ vnter allen  
lieben heiligen Engeln.

*Hoc autem fiet, si tu, mi Christiane,  
plena & firma animi fiducia, in tuam  
ipsius*



ipsius salutem, quam semel & integre in  
baptismo nactus es, recubueris: & pro  
hoc eximio dono Spiritum sanctum se-  
dulo oraueris. Nam fructus fidei, est al-  
ma pax, quæ tamen orantibus quotidie  
augetur & amplificatur. Trocedor fuis  
ille pius ac modestus Ludimagister, ora-  
re quotidie est solitus: Iesu Christe, Do-  
mine mi, concede mihi hodie diuinam tu-  
am pacem, qui tu mihi æternam salutem  
iam pridem donasti. Quoniam quid est  
parta & concessa salus, absq; sensu pa-  
cis? Muni obsecro cor meum superemi-  
nenti pace tua aduersus omnia tela Di-  
aboli, nunquam in me sæuire cessantis:  
& aduersus subitos inopinatosq; ca-  
sus variæ fortunæ, quibus hæc mise-  
ra vita exposita est. Quia autem pau-  
ci ita orant in tanta morum ferocia, &  
auri habendi cupidine, pauci etiam dul-  
cissimum pacis fructum, hoc est, regnum

B 4 cælo.

cælorum persentiscunt. Impiis quoq, seu operarijs iniquitatis non est pax, dicit Iehoua apud Esaiam cap. 48. Sunt autem impij seu Poale Auen operarij concupiscentiæ, non tantum illi, qui omnibus cupiditatibus frena laxant, & innocentes iniquè premunt: sed etiam hi, & quidem in primis, qui contra Dei verbum, propria libidine ducti, nouam iustitiam excogitant, & novos cultus instituunt, in eisq, confidunt. Hisce Pharisæis & Iesuitis nulla est pax, seu conscientie tranquillitas, inquit Dominus: sed Erinnidum facibus & flagris horribiliter concutiuntur, utut in medio cælo volare videantur.

Etsi autem omnes sancti, præsertim verò literati, qui puram Euangelij doctrinam in scholis & templis fideliter discunt & docent, inopiæ, inuidiæ, calumnijs, exilijs, ægrotudinibus, & alijs

alijs miserijs obnoxij sunt: quemadmo-  
dum Paulus inquit: 1. Corinth. 15. cap.  
ἐλεεινότεροι πάντων ἀνθρώπων ἐσμεν. Miser-  
rimi omnium hominum sumus: Tamen  
hæ ipsæ miserix non tanti sint sanctis,  
ut per ipsas in animis suis salutiferam  
pacem deuastari sinant. Quinimo pax  
illa se longè supra omnia aduersa effe-  
rat, & imperet in sanctis, & de cunctis  
aduersis triumphet. Coll. 3. Nondum vo-  
catus es, mi docte, pie, & honeste adole-  
scens, ad certam militiam, ad coniugij  
γλυκυπικρίαν, & ad externorum bonorum  
lubricam possessionem: noli propterea  
curis angi: sed parce tibi ipsi, & spem  
optimam concipe mente. Quoniam qui  
tibi dedit vitam, salutem, ingenium,  
eloquentiam, & alias animi præclaras  
dotes, quibus tu blattas & curculiones,  
lappas & tribulos excellis: is simul ac  
sydus tuum illuxerit, reliqua adijciet

B 5

tibi

tibi affatim, & ad insperatum prosperi-  
tatis culmen te euehet, omnibusq; tuis  
osoribus & oppressoribus sublimiorem  
ac cariorem reddet. Affirmat enim scri-  
ptura, Psal. 37. Certè finis pij & mo-  
derati hominis erit pax. Sicut enim  
Senectus Tullyj Hostily, pauperis &  
afflicti Romani, excellentissimis orna-  
mentis decorata, in excellentissimo ma-  
iestatis fastigio fulsit: Ita omnes pij, post  
exantlatos tot labores, tot miserias, tot  
pericula, tot angustias, tot dolores, tot  
gemitus, tot lacrymas si non in hac, certe  
in altera vita, excellentissimis  
decorati ornamentis, in ex-  
cellentissimo maie-  
statis fastigio  
fulgebunt.

De

DE GAUDIO  
IN SPIRITV  
SANCTO.

**R**EGNI SEV OF-  
ficij Christi præclarum ex-  
tat elogium apud D. Ioan-  
nem cap. 10. Ego veni, ut  
oves meæ vitam habeant, & abundanter  
habeant. Hoc est. Ego Filius Dei in hoc  
factus sum homo, & victima cruenta,  
pendens in cruce, ut electæ & credentes  
oves meæ non tantum æternæ iustitiæ  
decus æternæq; adoptionis gloriam &  
maiestatem ex me habeant, verumetiam  
ut æternæ vitæ dulcedine fruantur. Est  
autem vita æterna non tantum illa im-  
mortalis & incredibilis beatitudo in cœ-  
lo, quam animæ nostræ ex utrisque corporibus  
expectant: sed etiam gaudium animæ  
in hac vita per agnitionem & fidem re-  
missio-

missionis peccatorum & gratia Dei à  
Spiritu sancto in nobis excitatum. Die  
innerliche geistliche freude des her-  
zens. Nam anima libera & pura intu-  
ens illam illustrem magnificentiam ma-  
iestatis suæ, quam accepit in baptismo,  
non potest se continere, quin sancti Spi-  
ritus instinctu inenarrabili modo exul-  
tet. At qui tali vita seu gaudio vult esse  
præditos, imo abundare, omnes in se cre-  
dentes & baptizatos ipse Filius Dei:  
quemadmodum hac voce testatur: Ego  
veni ut vitam habeant, & ut illam  
abundanter habeant. Des Herrn  
Christi meinung ist / das seines  
Reichs Fürsten / angethan mit ewi-  
ger gerechtigkeit / vnd ewiger kind-  
schafft / von hertzen / vberschweng-  
lich / vnd vber alle massen frölich  
sein sollen. Non vult quenquam degere  
in tenebris ac tormentis mortis, seu do-  
lorum:

lorum: sed vult omnes viuere in luce &  
delicijs lætitiæ exquisitæ. Non vult ani-  
mos leuiter tinctos esse quantulocunque  
gaudij rore: sed toto pelago lætitiarum  
vult eos esse perfusos. **Unser Herzen**  
**sollen trieffen / ja fliessen von gros-**  
**ser wichtiger freude.** Vocatur autem  
talis vita seu lætitia in scriptura, Vita  
æterna: quia est initium vitæ æternæ,  
& quia debet in nobis perpetuo durare.  
**Es sol ein jmerwerende vnd zunec-**  
**mende freude sein.** Sicut enim iustitia  
nostra æterna est, & gratia Dei æterna,  
ita etiam hoc ipsum gaudium, quod est  
fructus iustitiæ & gratiæ tantæ, in no-  
bis debet esse æternum. Nos Christiani  
debemus esse viri gaudiorum, nō tantum  
summorum, verum etiam æternorum.  
**Wir sollen stets so vberaus lustig**  
**vnd frölich sein / als ob wir schon**  
**im Himmel weren.** Quoniam sic canit  
regius

regius Propheta, Psalmo 32. Lætamini  
in Iehoua, & exultate iusti. Et Psal. 68.  
Iusti lætabuntur & exultabunt coram  
Iehoua, & gestient præ lætitia. Item Esa-  
ias cap. 5. Redempti à Domino reuertentur,  
et venient in Sion cum cantico, eritq;  
gaudium perpetuum super caput eorum,  
& apprehendent lætitiã & exultationem,  
fugato dolore atq; mœrore. Sic &  
cap. 61. Gaudium æternum erit eis. Quor-  
sum videtur respexisse Apostolus, quan-  
do ad Philippenses in hunc modũ scripsit:  
Gaudete in Domino semper, & iterum  
dico gaudete. Nam si filij huius seculi gau-  
dent de quantulacũq; umbra externorum  
bonorum: quanto magis nos gaudere, &  
omnibus lætitijs incedere æquum est ob  
ipsa vera & solida bona. De Apollonio  
Eremita talis extat narratiuncula in Vi-  
tis patrum: Supra modum lætitiã & gau-  
dium inerat ei, & reliquis fratribus: tan-  
taq;



taque exultatio, quanta haberi ab ullo homi-  
num non possit in terris. Nullus in eis tri-  
stis omnino inueniebatur: sed si aliquis  
visus fuisset aliquantulum mæstior, statim  
Pater Apollonius causam mæstitiæ inqui-  
rebat, et arguebat. Monebat ergo eos di-  
cens, non oportere prorsus inesse tristiti-  
am his, quibus salus in Christo est, et spes  
in regno cælorum. Tristentur aiebat Gen-  
tiles, et lugeant Iudæi, Christiani verò  
letentur. Nam si illi qui terrena diligunt  
super fragilibus et caducis rebus letan-  
tur, nos qui firma ac stabilia bona, et tan-  
tæ gloriæ spem habemus, cur non omni  
exultatione letemur? Lutherus quoque in  
Epistola quadam disertè scribit, se omni-  
bus modis affectare et quærere occasio-  
nes honestorum gaudiorum et volupta-  
tum, seque toto pectore auersari et detestari  
omnem hypocrisin, religionem in morosi-  
tate ponentem. De Agesilao refert Xeno-  
phon,

phon, quod fuerit εὐελπίς, εὐθυμῶς καὶ ἀειίλα-  
ρός Plenus optima spe, fidenti animo, &  
perpetuo gaudio. Agesilaus ist immer vol  
guter hoffnung / vol muts etwas  
anzugreifen vnd auszurichten /  
vñ voller freude gewesen. Qui tamen  
fuit homo gentilis, ignarus fontis veri  
gaudij, hoc est, destitutus consolatione æ-  
ternæ salutis & vitæ. Talis autem vita  
seculatitia est unica & vera vita: sicut  
dolor è contrario mors est atq; infernus.  
Quin & nutricula est bonæ valetudinis  
longiorisq; æui, quemadmodum Nehemi-  
as testatur cap. 8. Ne contristemini, quia  
gaudium Iehouæ est robur vestrum. Wer  
in Gott frölich ist / der ist mechtig  
vnd thetig / ein trawriger ist todt /  
vnd kan nichts ausrichten. Et Syra-  
cides cap. 30. Gaudium cordis ipsa vita  
hominis est, & exultatio alicuius dierum  
productio. Imo est præcipuus cultus noui  
Testa-

Testamenti, quo Deus & Angeli unice  
delectantur, & quo Diaboli fugantur.  
Expresse enim dicit Psalmus 100. Ser-  
uite Iehouæ in lætitia, introite in conspe-  
ctu eius in exultatione. Quod ipsum si sa-  
tis intelligeremus, Bone Deus quàm be-  
ati essemus? Ediscant autem hoc loco ado-  
lescentes Epistolam Pauli Manutij ad  
Benedictū Rambertum scriptam, in qua  
extat hæc præclara commonefactio: Sed  
ô Ramberte, audi me hoc verissime mo-  
nentem: nihil agis, nisi iucundè viuas. Si  
vis te tibi restituere, des te ad hilaritatē  
oportet, & ex animo tuo dispellas, si qua  
tristium cogitationum residet nubecula.  
Hanc esse præstantissimam medicinam,  
vel potius unam medicinam, me quidem  
superioribus temporibus eodem morbo la-  
borantem, docuit euentus. Quare te rogo,  
ut pro eo, quanti ipse tibi es, quanti quæ eti-  
am nos apud te sumus, quorum salus in  
C tua

tua salute posita est, des operam ut veterem morbum noua ratione cures, & aliquando istam turbam medicorum malam in crucem iubeas abire, qui te pharmacis non solum diuersis, sed etiam contrarijs integrum iam annum lacerant, dum latentem in obscuro veritatem tuo periculo quaerunt. Huc usq; Manutius. Sed si quisquam est, qui rationem iucundè et optimè viuendi perdiscere cupiat, is legat Colloquium Erasmi senile, ibi reperiet hac de re egregia admodum dogmata, huc pertinentia.

Prouenit autem letitia spiritalis, seu vita aeterna, ex lectione, auditu & meditatione verbi diuini, quod Euangelium appellatur. Quoniam sic inquit Esaias Propheta cap. 55. Audite & viuet anima vestra. Höret / so wird ewer Seele leben. Item. Höret mir zu / vñ esset Das gute / so wird ewer Seele in wol-

wollust fett werden. Hoc est. Audite  
vocem Euangely, inde capiet anima ve-  
stra maximam voluptatem. Nulla enim  
harmonia dulcior, penetrantior & effica-  
cior est, syncera Euangely voce: quæ est  
vehiculum sancti Spiritus, per quod ita  
efficax est in electis, ut eius contactu sta-  
tim illorum mentes percellat, recreet, &  
in cœlum usq; euehat. Quapropter cum pij  
audiunt vocem Euangely, & sentiunt se  
per eam moueri, non dissimulent operatio-  
nem sancti Spiritus, sed liberè eam profi-  
teantur, & cum Monica Augustini ma-  
tre exclament: O amici subuolemus in cœ-  
lum. Quoniã hæc est vita, aut nescio quid  
sit. Philippo Macedone à Quintio Flami-  
nio, Consule Romano superato, cum in  
Istmyis ad spectacula tota Græcia conue-  
nisset, Flaminus tubæ signo, silentio fa-  
cto, per præconem hæc verba recitari ius-  
sit: Senatus P. Q. R. & Quintius Flami-

nus Imperator, omnes Græciæ urbes, quæ  
sub ditione regis Philippi fuerunt, liberos  
atq; immunes esse iubet. Quibus auditis  
maximo et inopinato gaudio homines per-  
culsi, primo veluti non audissent obticue-  
runt. Iterata deinde pronunciatione præ-  
conis, tantum cælum clamoris alacritate  
compleuerunt, ut certe constet, aues quæ  
super volabant, attonitas decidisse. Das  
ist ja ein herzhliche freud vñ wonne  
gewesen. Quanto magis nos cælum lætis  
clamoribus complere debebamus, audita  
voce libertatis nostræ æternæ, quam in  
Christo habemus. Neq; vero in nobis im-  
pediat vel deuastet initia vitæ æternæ  
Leo iste infernalis, & autor mortis, qui  
singulari artificio continuum & acrem  
mærorẽ cordibus nostris instillare nouit,  
quo eò citius arecant & contabescant.  
Die höchste tyranney des Teuffels  
ist / Christi freudenreich in vns zer-  
stören /

stören / vñ eitel betrüchte Bellerophon-  
tes aus vns zu machen. *Huic crude-  
lissimo hosti nostræ salutis opponamus ar-  
dentissima vota, quibus precemur Deū,  
ut lucem fidei, pacis ac gaudij in nobis se-  
mel accensam, non patiatur rursus extin-  
gui. Si te natura finxit de luto tristiore,  
mi optime Christiane, vel quotiescunq; ani-  
mum tuum adstrictum iam satis mærore  
nouus ardor infestat, utere hac medicina,  
Ora Filium Dei, ut te ab isto iugeliberet, &  
& te in libertatem filiorum Dei vindi-  
cet, omnemq; dolorem in te aboleat. Ach  
mein lieber Herr vnd Gott / errette  
mein armes hertz von dieser gros-  
sen angst vnd qual / vñ gib mir wi-  
derumb freude vnd wonne. Audi  
quoq; consolationes amicorum, quorum o-  
ratio prudens & tempestiua est instar fa-  
ui mellis, seu instar roris matutini, in ve-  
hementiori æstu. Neq; verò etiam turbe-*

mur ad rabiem furentis mundi, quem con-  
stat mancipiū Satanae esse, nec quicquam  
aliud posse, quā pijs pro luculentissimis  
beneficijs serpentinam gratiam referre.  
Wer in dieser Welt sein wil / Der mus  
sich von Schlangen beissen vnd ste-  
chen lassen / bis in den Todt. Oportet  
sanctos undiquaq; infinitam iniuriam ac-  
cipere, et dissimulato dolore, sereno vultu  
impudentissimis hostibus ablandiri, &  
insuper gratias ipsis agere. Pia, doctæ,  
modestæ & innocentes Luscinia, quæ  
accipitrum rostra & ungues aliquoties  
degustarunt, semper anxie pauent, teste  
Esaia c. 31. Tu formidas iugiter tota die  
à facie furoris eius qui te affligit. Du ge-  
denckst jmer / Der vnruhige boshafftis-  
ge Feind werde hinder dir her sein /  
vnd dir ein neues zurichten. Sed Filius  
Dei Dominus noster Iesus Christus non  
vult nos adeò pusillanimes et anxios esse,  
perpetuisq; pauoribus indulgere, ac ijs ex-  
crucio



cruciari, quasi verò princeps huius sæculi  
solus viueret, ipso extincto. Non mortu-  
us est Dominus noster Iesus Christus, sed  
viuit, & vicit imperatorem ac instigato-  
rem huius mundi, ne ulterius possit gras-  
sari, inflammando aduersus nos impiorum  
pectora, & virulentissima ipsorum ora,  
quã fas est. Ipse enim est Moschia hacho-  
sim, Seruator sperantium in se. Et ita  
complectitur et exosculatur eos, quemad-  
modum mater filiolum gremij sui. **Es ist  
nicht zu sagen / wie lieb der Herr die  
seinen hat / quos sibi gratuita beneuolen-  
tia, secundum beneplacitum voluntatis  
sue deuinctos habet. Quapropter ita affa-  
tur eos apud Esaiam cap. 51. Ego ego sum  
consolator vester, quis igitur es tu, ut ti-  
meas ab homine mortali, & à filio homi-  
nis, fæno? Nunquid oblitus es Domini  
factoris tui, qui extendit cælos, & funda-  
uit terram? **Las jmer hin wüten deine  
Seinde!****

Feinde/gros vnd klein/ mit Iestern vñ  
schmecken/ vnd womit sie wollen/ so  
lang es sie gelüftet/ dir ohne schaden.  
*Cum enim maxime videntur contra te  
agere bestiae terræ, maxime pro te ege-  
runt & agunt.* Es ist doch eitel heil vñ  
auffnehmen/ alles was den Christen  
von den Vnchristen widerferet. Vnd  
wenn man gedencfet/sie werden jetzt  
durch vnterdrückung klein gemacht/  
so werden sie durch Gottes segen vnd  
erhöhung allererst gros. *Tandem verò  
sicut rabiosi fluctus ad scopulos marinos,  
ita omnes impij seipsos collidunt.* Sie  
rennen jnen doch selbst endlich die her-  
zen ab/ mit jren eigen Spiessen/ die  
lausigen Hunde *Sis igitur leto & opti-  
mo animo etiam in medijs aduersis, fidu-  
cia gratiæ, præsentia & auxilij diuini.*  
*Quoniam letam catastrophem cunctorū  
malorum tuorum propediem videbis,  
& de hostibus tuis imperatorie  
triumphabis.*

F I N I S.


AB 46 13  
AB 46 / n, 12

ULB Halle 3  
002 683 717



St







6

DEFIDE,  
P A C E,  
Gaudioq; in  
Spiritu san-  
cto.

Violæ tres,

STEPHANI  
Prætorij.

I S S S.

